

/ Admodum Reverende, et Eruditissime Domine. Accepi litteras datas  
21. Februarii, iis litteris a me petis imaginem personae meae. Ego  
vero illud respondeo, quod olim respondit S. Paulinus Severo Sulpi-  
tio amicissimo suo: quaero enim, an velis imaginem veteris hominis  
5 mei, an novi? si veteris: illa nimis deformis est, ut digna non sit,  
quae suscipiatur: si novi: ea nondum perfecta est, proinde mitti non  
potest. Deinde, ut verum fatear, extant quidem Romae imagines meae,  
sed neque ulla est, quae omnino ad vivum me repraesentet: et omnes  
sunt in magna forma, ut non facile transmitti possint. Scripsit ad  
10 me ante paucos dies Joannes Kinskus Bibliopola Coloniensis, typis  
iterum isthic excudi Controversias meas a Socero suo Antonio Ierat,  
et Joan. Gymnico, in magno folio: ita ut in duobus solis volumini-  
bus Controversiae omnes comprehendantur; neque a me facultatem peti-  
it, sed significavit solum, id nunc fieri. Si hoc ita sit; non video,  
15 quomodo poterit D.V. curare, ut omnia opera isthic excudantur in  
pluribus tomis. Edidi his diebus libellum spirituales, quem statim  
recudendum suscepit Vidua Christophori Plantini Antverpiae: nec de-  
fuit Romae, qui mox editum, miserit Coloniam ad nescio quem Typo-  
graphum. Vale, Vir optime, et mihi in primis charissime, mei memor  
20 in orationibus tuis. Romae die 19. Martii 1615.